



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1692**

Caput III. De divisione Juris accepti pro Lege.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

CAPUT III.

De divisione Juris accepti  
pro lege.

*Quid jus naturale & positivum. Quid  
jus divinum tum vetus, tum novum, &  
humanum. Quid jus gentium & ci-  
vile, scriptum & non scriptum,  
publicum & privatum.*

I.

**S**icuti Lex ita Jus pro lege sum-  
ptum dividitur in Jus naturale  
& positivum. Naturale est,  
quod instinctu naturæ non constitutio-  
ne aliqua habetur. c. 7. Dist. 1. & defini-  
tur ab Aristotele 5. Eth. c. 7. *Quod ubi-  
que eandem vim habet, & non quia vi-  
detur, aut non videtur, id est, cujus  
obligatio oritur non ex arbitrio præci-  
pientis, sed ex natura rei, quæ cum ea-  
dem sit apud omnes, eandem quoque  
ubique, & apud omnes vim habet. Jus  
vero naturale triplex est, ut statuit S.  
Thom. 1. 2. q. 94. a. 2. secundum tripli-  
cem inclinationem quam habet homo  
ad bonum prosequendum, & malum vi-  
tandum. Primo inest homini inclinatio  
ad conservationem sui, tanquam ad bo-*

num secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis; *Omnis enim natura, ut ait Cicero l. 4. de fin. vult esse conservatrix sui, ut salva sit, & in genere conservetur suo secundum hanc inclinationem juris sunt naturalis ea omnia per quæ vita hominis conservatur & contrarium impeditur.* Et consentiunt Jurisconsulti, cum docent *nihil tam naturale esse, quam eo genere quodq; dissolvere, quam quo colligatum est.* Ulpianus *l. nihil tam naturale de reg. jur.* Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris & foeminae: & educatio liberorum & similia. Ita S. Thomas *l. c.* Et hoc sensu definitur Jus naturale ab Ulpiano: *Quod natura omnia animalia docuit l. 1. ff. de just. & jur.* adeoque jus sic acceptum nihil est aliud, quam instinctus naturæ sensitivæ, qui hominibus cum brutis est communis. Veruntamen hic brutorum instinctus abusivè dicitur jus naturale, cum non reguletur à ratione, à qua jus originem trahit; Atque

que

que inde est, quod bruta nullum habeant jus cum hominibus commune, tum quia non habent dominium in proprios actus, uti natura habet rationalis, tum quia si bruta à nobis impedirentur in suis operationibus, fieret ipsis injuria, cum injustum sit impedire jus alterius. Tertio modo pergit S. Thomas l. c. *inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria, & ex hoc profluit jus naturale proprie dictum, de quo Cajus Jurisconsultus l. omnes populi ff. de Just. & Jur. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur.* Propriæ ergo & formaliter inest jus naturale homini, quod nihil est aliud, quam recta ratio ab auctore naturæ ipsi indita, seu dictamen & conscientia præcipiens aliquid necessario faciendum vel non faciendum. Scite, ut solet, Seneca ad Lucilium Epist. 65. *Est ergo à DEO tamquam naturæ autore impressum inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicæ actus humanos liberos ad bonum justumque dirigimus.* Hujus juris præcepta sunt omnia practica dictamina naturaliter nota, non solum uni-  
ver-

versalia illa : Malum esse fugiendum & bonum faciendum, sed etiam magis particularia in illis radicata, ut est in primis illud : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, seu ut Christus docet, *Matth. 7. v. 12. Omnia quaecunq; vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; Hoc enim complectitur præcepta secundæ tabulæ Decalogi, & quæ ex iis per consequentiam naturalem deducuntur; Ideo S. Augustinus in *Psal. 57. Nullus est, qui sola natura duce non asserat, nolle accedi ab altero ad uxorem suam, sibi furtum fieri, & qui velit injuriam pati, cui non displiceat, panem sibi negari esurienti, peregrinum non suscipi, dictareque rationem naturalem, ut eadem aliis vel non faciamus mala, vel bona præstemus.*

Jus illud naturale est immutabile ex natura sua, & si quæ mutatio fiat in iis, quæ juris sunt naturalis, hæc non provenit ex eo, quod ipsum jus naturale per dispensationem aliquam vel abrogationem in se mutetur, sed quod objectum ob supervenientem circumstantiam extrahatur è numero eorum, quæ juris erant naturalis; Sic reddere depositum juris est naturalis, nunquam tamen de  
 jure

jure fuit naturali furioso reddere ensem depositum.

2. Jus positivum sive lege positum, ut loquitur S. Thomas 5. *Eth.* lect. 12. secundum Aristotelem 5. *Eth.* c. 7. est: *Quod ab initio* (nimirum ante legem latam) *hoc an illo modo fiat, nihil refert: cum autem positum fuerit, refert*, id est quod non ex natura rei, sed ex libera DEI vel hominis voluntate pendet.

Hinc deducitur 1. Ea quæ sunt contra jus positivum, mala esse quia prohibita; quæ vero sunt contra jus naturale, prohiberi quia in se mala sunt. 2. Apud diversas gentes, diversa esse jura positiva. 3. Pro temporum varietate variari quoque hæc jura posse, cum enim Principis arbitrato posita sint, ejusdem quoque voluntate mutari aut tolli poterunt, si Reip. expedire judicaverit.

Dividitur jus positivum in Divinum & humanum. Divinum est, ut inquit S. Tho. 2. 2. q. 57. a. 3. ad 3. quod divinitus promulgatur, hoc est, quod DEUS vel Christus statuit, & per se vel per ministros, puta Angelos, Moysen, & Apostolos promulgavit. Hoc subdividitur in vetus & novum; Vetus est, quod DEUS in veteri Testamento Judæis tulit, & per Angelos acceptum Moyses  
tan.

tanquam Præco DEI primus promulgavit *c. Moyses 1. Dist. 7.* Hoc triplicis generis præcepta continebat: *Moralia* ad formandos mores, ut sunt præcepta Decalogi *Exod. 20.* *Cæremonialia* de rebus ad divinum cultum spectantibus contenta in libro Levitici *c. 1. & seq.* *Judicialia* de rebus civilibus & politicis consignata in libro Exodi *c. 21. & seqq.*

Jus divinum positivum novum est, quod Christus in novo Testamento condidit, & tum ipse tum ejus Apostoli ex ore Magistri sui promulgarunt. Quæ vero iidem Apostoli tanquam Rectores Ecclesiæ statuerunt, ad jus humanum pertinent, ut sunt: Canones Apostolorum, Decreta de jejuniis quadragesimali, celebratione diei Dominicæ & similia. Hoc jus nunquam abrogabitur per aliud novum *Jerem. 32. v. 40.* quia hoc salvare potest in sempiternum. *Hebr. 10.* quod non poterat vetus, & ideo antiquatum est; Nam translato Sacerdotio necesse fuit, ut legis translatio fieret *Hebr. c. 7. v. 12.*

3. Jus humanum, quod humano arbitratu conditum, dividitur in sæculare, quod auctoritate Principis vel Magistratus sæcularis, & Ecclesiasticum, quod auctoritate Ecclesiæ est latum. Sæculare

lare

lare subdividitur in Jus gentium & Civile c. 6. Dist. 1. Jus gentium dicitur quia eo jure omnes fere gentes utuntur. c. 9. Dist. 1. & est quod usu & moribus introductum apud omnes, aut fere omnes populos peræque custoditur & observatur. *Inst. de Jur. nat. gent. & civ. §. Jus autem gentium.* Hoc jure introductæ sunt rerum & dominiorum divisiones & obligationes. l. 5. ff. de Just. & Jur. fœdera, servitutes captorum justo bello, Legatorum non violandorum religio, & similia *Instit. l. c. c. Jus gentium dist. 1.* Quamvis jus illud utpote humanum ex parte abrogari possit, ut defacto abrogatum est, quod Christiani capti à Christianis in bello justo mancipia fiant, fieri tamen moraliter non potest, ut totum eliminetur, quia ad hoc requireretur consensus omnium, aut ferè omnium Nationum; Nec ut fiat expedit ob gravissima incommoda & mala, quæ inde orirentur, si v. g. rerum divisio tolleretur.

Differt vero jus gentium à naturali in multis: Jus enim naturale obligat ex natura rei, non arbitrio tantum recipientis. Est penitus immutabile, imo de ipso nec DEUS judicat, sed per ipsum judicat qui judicat. *S. Aug. de ver. relig. c. 31.* Est tempore primum, quia

coæ-



coævum ipsi naturæ hominis ; Rectè intellectum idem est apud omnes. E contrario jus gentium non obligat nisi ex arbitrio hominum ; Potest hominum arbitrio, si non plane tolli, saltem minui. Non prius condi cœpit quam homines multiplicarentur super terram. Nec est ubique idem.

4. Jus civile communiter nunc usurpatur pro omni jure, quod à sæculari potestate constituitur ; Cæterum dicitur id quod quisque populus vel quævis civitas sibi proprium constituit. *c. 8. dist. 1.* Unde aliud est Atheniensium, aliud Lacedæmoniorum, aliud Romanorum, quod per Antonomasiam Jus commune & Civile appellatur §. *Sed jus quidem Inst. de jur. nat. &c.* quia potissima & principalior pars juris est Romanorum, ideoque dicitur etiam Jus Quiritum, quia Romani Quirites vocabantur *c. 1. Dist. 1.* vel à Romulo Quiritio, sic dicto ab ingenti ejus hasta, quæ Sabinorum lingua Quiris dicebatur *Glos. Inst. de jur. nat. §. Sed jus* vel quod sic à Curibus Sabinorum urbe appellati sint. *Liv. l. 1.*

Efficitur hoc jus cum juri naturali vel gentium aliquid additur vel detrahitur. *l. 6. ff. de just. & jur.* Sic v. g. præscribit jus gentium fontes esse puniendos,

dos, sed cum non præscribat quo genere pœnæ, addit & determinat id Jus civile, ut latro gladio, fur laqueo puniatur. Similiter præscribit Jus gentium pacta esse servanda, huic detrahit Jus civile, dum statuit pupillum non obligari ad servandam promissionem ab eo factam ob ætatis fragilitatem.

Dividitur Jus civile in scriptum & non scriptum seu Consuetudinem ut innuitur à Gajo *l. omnes populi ff. de Just. & jur. Instit. de jur. natur. tit. 2. §. Jus autem civile* Jus non scriptum seu consuetudinarium est Jus ex usu & praxi veniens approbatum, vel: *Jus diuturnis utentium moribus introductum. Instit. l. c. §. sine scripto.* Sive illud in scripturam postmodum redigatur, ut jura feudorum, sive non; Non enim desinunt esse consuetudines, quod in scripturam referantur. Dividi potest in generale, quod ubique in Imperio Romano servatur, ut est jus feudorum & in speciale, quod in certa Provincia vel civitate est introductum.

Scriptum dicitur, non quod literis sit consignatum, sed quod præscriptum sit & sancitum; Sicuti nec leges à legendis legum tabulis dictæ sunt, id enim magis conservandæ memoriæ causa fit, quam quod sit de legis essentia, ut benè advertit

tit

tit Ant. Augustinus in *lib. de leg. c. 1. in fin.*  
 Itaque jus scriptum est, quod auctoritate publicâ sancitum & omnibus subditis præscriptum est, licet inscripturum non sit relatum. Jus vero non scriptum est, quod non est auctoritate publica expresse præscriptum, sed moribus solum utentium receptum, & tacitè comprobatum est, licet id postea literis consignetur.

Jus scriptum dividitur in commune & particulare. Commune dicimus totum illud, quo Imperium Romanum cum capite suo ac omnibus membris regitur. Particulare vero appellamus primò Jus militare, quod ad militarem disciplinam spectat *ff. de re milit. C. de offic. mil. Jud. de militari testam.* Jus municipale, quod ligat solum subditos loci; Paternum, quod Pater habet ad filium; Hærilè quod Dominus ad servum, & Oeconomicum, quod vir ad Uxorem habet. *S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 4.* Præterea jus particulare vocamus statuta, quæ à Collegiis, Mercatoribus, Campsioribus fiunt, & illos tantum obligant. *Bart. in l. 9. n. 2. 6. 7. de just. & jur.* Demum mutuum etiam consensum duarum privatarum personarum in privato contractu factum, appellare possumus jus particulare, nam talis consensus sufficit

ficit ad jus aliquod inter duos constituen-  
dum. *S. Thom. l. c. a. 2.*

5. Jus commune iterum subdividi-  
tur in publicum & privatum. Publi-  
cum est, quod ad statum rei Romanæ  
spectat. *l. 1. §. 2. ff. de just. & jur.* & in tri-  
bus versatur: *Sacris, Sacerdotibus &*  
*Magistratibus. c. 1. dist. 1.* Sacra sunt,  
quæ DEO & ejus cultui consecrata sunt.  
*Festus l. 16.* Ut templa, indumenta Sacer-  
dotalia, Altaria, vasa aliaq; divinis mi-  
nisteriis inservientia. Spectant hæc ad  
jus publicum, quia res sacræ à Juristis  
dicuntur publicè consecratæ à Principe,  
vel ab eo potestatem habente, adeoque  
si quis privatus sibi sacrum constituerit,  
profanum erit. *l. 6. in tantum §. res autem sa-  
cræ. l. 9. sacra loca ff. de divis. rer. l. interdum  
ff. ut in poss. legat.* Per Sacerdotes hic in-  
telliguntur omnes, qui DEO & sacris  
vacant *l. non distinguemus §. Sacerdotio ff. de  
recept. Glos. in l. 1. de just. & jur. v. Sacerdotes.*  
Hi quoque spectant ad jus publicum,  
quia pro populo preces DEO offerunt,  
& sunt mediatores inter DEUM & ho-  
minem *S. Tho. 3. p. q. 22. a. 4.* ideoque Sa-  
cerdotes dicuntur à Christo ad ministe-  
rium communis salutis electi. *c. Sæpe 12.  
q. 2. & communes omnium Patres ac  
Magistri c. quis. dist. 96.* Demum nomi-  
ne

ne

ne Magistratum intelliguntur personæ publicæ in principali dignitate constitutæ, penes quas est ordinaria Jurisdictio & merum imperium, ut deducitur ex *l. Eum ff. de jurisd. om. Jud.* Pertinent hæc ad jus publicum, quia publicæ utilitati potissimum intendunt condendo leges, jura reddendo subditis &c. Hoc jus continetur *lib. 1. ff. & C.* præsertim vero tribus libris posterioribus Codicis & aliquot Novellis. Cum vero Jus veteri Rep. mutatâ magnam quoque subierit mutationem, adeunda est hoc tempore Aurea Bulla Caroli IV. Capitulationes ac Recessus Imperii, in quibus Lex regia Germanorum continetur, ut ritè decidantur controversiæ de Imperatoris & Principum potestate.

Jus privatum est, quod ad singulorum hominum utilitatem principaliter spectat. *l. 1. §. hujus & seqq. de just. & jur.* Licet per accidens publicam etiam utilitatem respiciat, cum Reip. intersit locupletes habere subditos, & ne quis re sua male utatur. *Instit. §. fin. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Tractat vero hoc jus de discrimine rerum & personarum, de contractibus, successione, Judiciis aliisque similibus. Dicitur quoque jus Cæsareum, quia à Romanis Imperatoribus  
latum

latum obligat omnes eorundem imperio subjectos, imo & sæpè alias in Europa Provincias, quæ in defectum proprii seu municipalis juris libere illud receperunt, ut de Castella testatur Molina tom. 2. de Iust. & jur. Disp. 540. Continetur in corpore seu libris Imp. Justiniani prout capite sequenti videbimus.

C A P U T IV.

Quæ sint partes Juris Cæsarei.

*Jus Cæsareum in quot partes dividatur.*

*Quos libros contineant Digesta, Codex, Volumen, Institutiones, & quomodo citentur?*

I.

**J**us Cæsareum, quod partim à Romanis Imperatoribus institutum, partim eorum auctoritate collectum, & apptobatum est, in quatuor præcipuas partes dividitur, quæ sunt: *Digesta, Codex, Constitutiones, Novella & Instituta.* Prima ergo pars sunt.

*Digesta, quæ Græci Pandectas vocant, id est, libros promiscua & multifaria continentes, tanquam omne rerum ac doctrinarum genus complexos.* quam

C

inscrip